

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Anthropologia Anatomico-Physica**

**Baumer, Johann Wilhelm**

**Francofurti, 1784**

**VD18 11680695**

Cap. XXXV. De nervis obturante ac femorali.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16622**

gitudinem discesso vas sanguiferum appareat.  
Vid. J. B. Morgagni l. V. de sedib. & caussis  
morb. ep. LXX. art. x.

## CAP. XXXV.

*De nervis obturante ac femorali.*

## §. I.

*Nervus  
obturans.*

**E**x ramo tertii ac quarti, interdum etiam secundi, paris nervorum lumborum nervus, a musculis obturantibus nomen trahens, factus, in parte musculi psoas laterali interna serpens, atque in pelvem descendens, ad superiorem muscularum obturantium partem, ex foramine ossis coxarum ovali egreditur, tres ramos maiores protrudit, musculisque obturantibus, pectenio, tricipiti ac gracili ramusculos distribuit.

## §. II.

*Nervus  
femoralis.*

Nervus femoralis, vel cruralis anterior, a quatuor superioribus nervorum lumborum paribus, quinti paris ramo saepius concurrente, productus, a musculo psoas tectus, musculumque iliacum transcendens, atque sub Fallopii ligamento, inter arteriam venamque cruralem, ex pelvi proveniens, in plures ramos, maxime ex ipso truncotum ex eius coniunctione cum tertii paris ramo venientes, dirimitur. Horum nonnulli ad glandulas inguinales, plurimi vero in anteriore femoris parte descendentes,



musculisque tricipiti, pectineo, sartorio, ac seminervoso ramulos mittentes, ad genu, tibiam, malleolum internum, venam saphenam dorsumque pedis usque, nervulos cutaneos spargunt. Ex dictis ramulis unus, musculum sartorium, ac dein venam saphenam, comitans, in interno dorsi pedis latere pluribus filamentis finitur. Vid. *Andr. Vesalius* l. c. p. CCCXC. *W. Comperi* anat. C. H. tab. LXXVIII. lit. J. Ab aliis tres insigniores nervi huius rami femoralis superior, tibialis ac nervus pedis nominantur.

## CAP. XXXVI.

## De nervis sacris.

## §. I.

**N**ervorum sacrorum quatuor, interdum *Nervi sacri*, quinque, paria maiora, ex foraminibus magnis anterioribus venientia, duoque minora ima, ex incisuris ossis sacri lateralibus prodeuntia, numerantur. Illorum parimum maximum est, reliqua magnitudine gradatim decrescent. Ex foraminibus dicti ossis posterioribus, cæteroquin clausis, quædam nervosa filamenta etiam prodeunt. Ramos anteriores ac posteriores ganglia consimilesque connexiones, ut reliqui vertebrarum nervi, sacri quoque faciunt, & quatuor illorum paria maiora, cum duobus ultimis nervorum lumborum paribus, sub

